

1997-11-05 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Maxime Colitur’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

MAXIME COLITUR

**SANCTUARIO BEATAE VIRGINIS MARIAE SUB TITULO
«NOSSA SENHORA DAS NEVES» DICATO IN ARCHIDIOECESI
ET URBE PARAHBENSI BASILICAE MINORIS DIGNITAS TRIBUITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Maxime colitur a populo christiano Deipara Maria, «quae signum sacrae virginitatis extulit, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum erexit» (S. Ambrosius, *De institutione Virginis*, V). Quam quidem devotionem fovere cupientes libentes accepimus postulationem Venerabilis Fratris Marcelli Pinto Carvalheira, Archiepiscopi Parahybensis, qui petivit ut titulo Basilicae Minoris honestaretur Sanctuarium Beatae Mariae Virgini sub titulo «Nossa Senhora das Neves» in urbe Parahybensi dicatum, in quo omnia instituta ad cultum sollemniorem necessaria accommodata sunt nec non divinae gratiae copiose a populo affluente recipiuntur. Confidimus sane fore ut, intercedente Sancta Dei Genetrice Maria, hoc privilegium ad spiritale lucrum Christifidelium adque fidem catholicam in illa regione corroborandam plurimum proficiat.

De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut supra dictum sanctuarium Beatae Mariae Virginis titulo et dignitate Basilicae Minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis its quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum servanda sunt. Haec nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status